



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindellicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXL. Ad crucis contactum resurgunt mortui, & magnalia Dei  
reserantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



# CONSIDERATIO CXL.

## Ad crucis contactum resurgunt mortui, & magnalia Dei referantur.

*De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne! Osee 13. 14.*

I.

**O** See Propheta, ubi populo Israelitico ob perpetrata peccata ac plurima demerita prædixerat perditionem: *Perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Mox ad Christum Dominum & hunc Crucifixum se convertit, atque sic populum de novo consolatus est, dum docuit, quod Christus suo tempore in cruce moriens eos, omnesque credentes à morte esset liberaturus, & ex inferno (limbo) educiturus; proinde de hoc nostro piensissimo Redemptore vaticinatus est: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos &c.* Quod adimpletum est, dum Christus in cruce mortem morte sua superavit, & in sua resurrectione mortem in triumphum duxit, ac Patres ex inferno liberavit, animasque purgatas, vel purgandas è purgatorio eduxit, primas illis indulgentias plenarias tum culparum, tum poenarum remissionem indulgens: unde rectè S. Augustinus: *De electis suis nullum apud inferos reliquit.* Hinc jure merito exclamat S. Leo Papa: *O admirabilis potentia crucis, o insensibilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est crucifixi.* Traxisti enim Domine omnia ad te &c. Vide plura in Breviario Romano in Festo Exaltationis S. Crucis; Nocturno 3.

2. Eliseus Propheta, ubi vixit centum annis & amplius, & in religiosa disciplina octoginta, piissime tandem obiit anno mundi 3204. ut habet Salianus, & ante Christum anno 849. Catalogo Sanctorum adscriptus, prout testatur Martyrologium Romanum die 14. Junii: *Samaria in Palaestina S. Elisei Propheta, cujus sepulchrum demones perhorrescere scribit*

Osee. 13. 9.  
S. Aug. serm. 137. de Temp.  
S. Leo. Papa ser. 8 de Pass.

4. Reg. 13. 20.

*Scribit S. Hieronymus. Hic ergo talis ac tantus vir cum sepeliretur, mortuus mortuum ad vitam suscitavit: Mortuus est ergo Eliseus, & sepelierunt eum; Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno; quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulchro Elisei, quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos.*

Math. 27. 52.

Collige ex hoc admirandam Elisei sanctitatem ac virtutem, quod mortuus mortuum ad novam vitam resuscitaverit. Verum hæc omnia facta sunt illis in figura, scripta sunt autem propter nos, & propter nostram doctrinam: Fuit ergo, subintrat hic Cornelius, *Eliseus typus Christi, cujus in cruce mortui gratia & meritorum contactu omnes resurgemus.* In quem finem statim à morte Christi monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt; & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. En mirabilem fructum mortis & crucis Christi.

Luc. 7. 14.

3. Vis plura! Pulcherrimum typum ab ipsa Veritate Christi accipe, dum adolescentem in Naim filium unicum matris suæ à morte ad vitam resuscitavit: *Accessit, tetigit loculum (hi autem qui portabant, steterunt) & ait: Adolescens tibi dico surge.* Ad quid, obsecro, Christus loculum, seu ligneum feretrum, in quo jacebat mortuus, propriis & extensis manibus tangere voluit?

S. Ambros. in  
Lucam, c. 7.

Respondet S. Ambrosius, quia per illum loculum, in quo jacebat defunctus, crux Dominica adumbrata est, unde juvenis ille ad attactum Christi revixit: *Spem, inquit, resurgendi habebat, qui ferebatur ligno: quod si nobis ante non proderat, tamen postquam Christus id tetigit, proficere cepit ad vitam.* Juvat etiam hic audire Cornelium: *Tangit, ait, loculum, id est lignum crucis, illaque ipsum à morte excitat, crucis enim Christo merito peccatoribus inspiratur à Deo penitentia & gratia &c.*

Alphonf. Ciaconius de  
signis SS. Crucis  
cap. 32.

3. Eamus ad Calvarium montem. Postquam vita nostra Christus de cruce depositus est, interim dum exanime illius corpus condiretur aromatibus, ac involveretur lintheaminibus, mox sepultura tradendum, carnifices crucem Dominicam, & duorum latronum in vallem monti Golgothæo subjectam præcipitarunt, terræque & egestis civitatis fordibus obruerunt, in quo obscuro loco defossum triumphale illud lignum per annos circiter 269. sepultum jacuit, donec S. Helena Augusta in somnis oraculo admonita Hierosolymam crucis quærendæ causâ petiit, ubi 3. Maij anno Christi 329. maximo cum gaudio tres illas cruces invenit; & quia adhuc dubium erat, quamnam vera crux esset Dominica, cuidam foemine moribundæ admotæ sunt, & dum duæ cruces latronum nihil profecissent, tertia & vera crux Christi continuo illam moribundam à portis mortis revocavit.

Idem præstitit Sacrosanctum illud vitæ lignum super alio mortuo impositum, qui mox ad illius attractum revixit. Ita S. Paulinus & alii, Proin rectè S. Joannes Damascenus: *Posteaquam per lignum mors allata est, oportebat sanè per lignum etiam donari vitam & resurrectionem;*

S. Paulinus Ep. 11. ad Sever. Sulp. S. Jo. Dam. cit. à Th. de Trufillo,

6. Placent Exempla? S. Dominicus natione Hispanus, patriâ Calarogitanus, inclyti Ordinis Prædicatorum Institutor, cum Romæ verfaretur, tres mortuos virtute S. Crucis mirabiliter ad vitam revocavit, inter quos erat Napoleus, juvenis nobilissimo prognatus sanguine, cum hic concitatiùs equum generosum succuteret, ab eo excussus, & omnibus artubus contritus expiravit. Erat tunc S. Dominicus in monasterio S. Sixti, ubi hunc miserandum casum intellexit, se quanto cyùs ad Sacrum legendum devotissimè præparavit. Et ecce cum SS. Sacramentum elevaret, & ipse plus cubito uno coram omnibus spectantibus, & obstupescens sublevatus est. Finito Sacro funus accedit, & extinctum atque contritum juvenem signo SS. Crucis signat, dicens clarâ voce: *Napolee, in nomine & virtute Domini nostri Jesu Christi ocys exsurge.* En grande prodigium! Auctori vitæ obedit mors, & juvenis præsentibus Cardinalibus, multisque de populo resurgit vivus ac sanus.

Ribadeneira in vita SS. 4. Augusti,

7. Gultadona matrona Romana in concionibus S. P. Dominici erat frequentissima, quæ aliquando domum redùx filiolum suum invenit mortuum. Quid agit mœstissima mater? fide plena lacrymisque irrigata natum suum extinctum ad Ecclesiam portat, & ad S. Dominici pedes coram frequenti populo deponit, quem Sanctus Pater cruce signat, manu elevat, & vivum Matri restituit.

Idem.

Cum Romæ templum S. Sixti ædificaretur, operarius quidam à muro subitò cadente prostratus, contritus, & interfectus est. Vidit hunc miserandum casum Vir sanctissimus, qui mox lapides removeri jubet: signat mortuum signo S. Crucis, in cujus virtute illum pari modo, ut cæteros, ad vitam revocavit. Hinc de ipso canit Ecclesia in 5. Lectione: *Tres etiam mortuos ad vitam revocavit, multaque alia edidit miracula, quibus Ordo Prædicatorum mirifice propagari capit.*

Idem.

8. Invitaverat aliquando Elifeus Propheta cæteros Prophetarum filios ad frugalem mensam, in quem finem famulum suum in agrum dimisit, ut herbas salutare colligens ex eis hospitibus suis bonum pulmentum faceret; incidit servus ille in vitem silvestrem & colocynthidas, ex quibus domum reversus in olla ad ignem coctionem paravit, quam cum gustassent filii Prophetarum, unanimiter exclamarunt: *Mors in olla vir Dei, & non potuerunt comedere.* Quid hic Eli-

Reg. 4. 39.

Sinther Unus pro omnibus.

XXX

seus?

530 Consideratio CXL. Ad contactum S. Crucis mortui &c.  
seus? Afferte, inquit, farinam: Cūque tulissent, misit in ollam, & ait, in  
funde turba ut comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.

Et dic Sodes, quid vita nostra humana aliud est, quam Mors in  
olla? Plena est hæc olla amaritudine, felle & absynthio, ac tunc præ-  
sertim in suprema infirmitate, quando nobis migrandum erit ad iudi-  
cium & longam, ah longissimam seu felicem, seu heu! nimium infeli-  
licem æternitatem. O mors in olla, o mors in olla! Quid ergo hanc nos-  
tram in agone indulcorabit amaritudinem, & gustui reddet, sapidam?  
Nihil sanè aliud, subintrat hic doctissimus Hadrianus Lyraeus, præter  
quam farina corporis Christi pendentis in cruce, & in SS. Eucharistia, ipse  
enim est illud divinum granum, qui de se ipso ait: Nisi granum fructum  
cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit,  
multum fructum affert; Mortuum est hoc divinum granum in agro Gol-  
gothæo in cruce; Ubi attritus est propter scelera nostra, verum resurgens  
multum fructum imò centesimum attulit, & etiamnum affert Cruci-  
fixum Jesum amantibus, colentibus & imitantibus.

9. Pro coronide hujus Considerationis S. Didacum ex Ordine  
Fratrum Minorum S. Francisci, quos Observantes vocamus, confite-  
lamus; hic ubi frustra panis, quæ ferebat pauperibus, coram Superio-  
re in flores convertit, in deserto cibum divinitus paratum invenit,  
puerum in fornace ardente incolumem servavit, tandem post per-  
actam sanctissimè vitam moriens arreptâ cruce lignea, sic ultimum  
ad crucifixum Amorem suum suspiravit: Dulce lignum, dulces clavos,  
dulcia serens pondera, quæ sole fuisti digna ferre Regem calorum & Do-  
minum &c. Quibus dictis feliciter expiravit. O felix  
fors, o beata mors!



Jo. 12. 24.

Nu. 53. 5.

Vita de S.  
Didaco 14.  
Novemb.

87. 21.  
84. 48.

83. 14.

CON-